



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Locutio Dei Ad Cor Religiosi

Pawłowski, Daniel

Leodii, 1701

III. Meditatione: Conclusio Exercitiorum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)



DIEI OCTAVÆ
MEDITATIO III.

*Concludens Exercitia Spiritu-
talia.*

Directorium nostrum in Exercitia S. P. N. præscribit quædam commendanda iis, qui Exercitia peregerunt, & ab iisdem cordi sollicitè imprimenda, ad quæ deserviet hæc Meditatio.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. Statue te in præsentia Dei, te intimè penetrantis & pervidentis.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam, per quam tibi Exercitia Spiritu-
talia, quæ fecisti, cedant in salutem æternam.

PUNCTUM I. Audi dicentem Deum per S. Paulum *ad Rom. 2. Inexcusabilis es ó homo.* Et considera, nullam te coram Deo post hæc Exercitia excusationem habiturum, si vitam tuam juxta rationes æternas, juxta conscientiam, vota & regulas Religionis non direxeris: non poteris dicere; ignoravi, lumen Dei non habui. Non poteris dice-

re ; non potui , gratiam Dei excitantem auxiliantemque non habui ; solum hoc debebis fateri , nolui. Vide ergo , ne sis similis illis Ethnicis Sapientibus , qui cum cognovissent Deum , non sicut Deum glorificaverunt , sed evanuerunt in cogitationibus suis. Cognovisti , quid exigat à te Deus , quid Religio , quid tu ipse : vide , ne evanescas ; aliàs nullam excusationem in die iudicii habebis. Propone igitur omnia , quæ didicisti , & in quibus convictum te sensisti , observare deinceps.

II. Audi Christum Dominum dicentem : *Luc. 12. Servus , qui cognovit voluntatem Domini sui , &c. & non fecerit , vapulabit multis.* Hoc audiens considera , longè majorem poenam seu damnationem tuam fore , si post hæc exercitia malus , in servitio Dei negligens , tepidus & plebeius , ac vix plebeius Dei servus fueris , quàm si nunquam ea fecisses , quia quò majora alicui Deus concedit beneficia , eò magis illi displicet , quòd ab illo contra se committitur : cum ergo tantum tibi Deus per hæc exercitia præstiterit beneficium , væ tibi , si ad pristinas tuas redieris consuetudines ! horrendum est illud magni cujusdam viri dictum : *Quem Exercitia S. Ignatii non corrigunt , illum nec ipse corriget infernus.* Scias , inter signa reprobationis hoc esse , si ad tantum lumen Dei , velut noctua cæcutias , actum

de te est; si non duxeris religiosius vitam, & ne actum sit, vide, quomodo deinceps in omnibus te gerere debeas: renova igitur proposita tua, & in praxin deducere stude.

III. Audi Angelum jurantem per viventem in sæcula sæculorum: *Quia tempus non erit amplius, Apocalyp. 10.* Et considera, quòd hæc exercitia spiritualia fortè sint ultimum medium, quo ad te excitandum, & ad se alliciendum usus est Deus. Mirabilis est Deus in consiliis suis, quòd te adhuc toleraverit, & occasionem tantam ad bonum largitus sit. Agnosce bonitatem Domini Dei tui, sincerè te amantis, & vide, ne dicatur tibi: *Curavimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam.* Venient tibi in mentem in morte Exercitia hæc; stabunt singulæ meditationes ante oculos, & loquentur tibi; an non potuisti? quis te impedivit? cognosces, sed serò, amissum bonum & totà non recuperandum æternitate. Ne ergo ita eveniat, propone firmissimè, quæ in Exercitiis proposuisti, & statim executioni mandare stude.

COLLOQUIUM. Et quid jam tandem, ô bonitas Dei mei, mecum ages? fecisti mihi ultra spem & expectationem meam! detrudendus jam eram ad infernum, & ecce, me misericordissimè crexisti, illustrasti, tempus concessi-

sti! ô fons misericordiarum! quomodo non serviam tibi? Si est aliqua venula in corpore meo, quæ abhinc non serviet tibi, erue eam. Faceffe ergo præterita vita! jam me Dominus JESUS in novitate vitæ vult ambulare. Domine, qui dedisti velle, da & perficere! Tibi fit honor, & gloria in perpetuas æternitates, ex me, & ex omni creatura, Amen, Amen, Amen.

In fine Pater, Ave, & Anima Christi, & Te-Deum laudamus.

